



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 1. Symbola. Ex Veteri. Ex Patribus, & alijs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

negotiorum, qui litus otijs tenentes naufragant. Gerson. tr. 11. sup. Magnif.

Theaurum fortuitò invenit agricola arans, domum portat; curisque mox torquetur, quomodo tantà pecunià uti debeat? quin thesaurum vicini odorentur. Adèd verò miser se curis immerfit, ut earum ponde-

re oppressus perierit. Alvarez in Gen. 40. Illustr. 134.

Curia dat curas. Ergo, si vivere curas, & bene, securè; non sit tibi curia curas. Doultreman. l. 1. c. 5. Sect. 6.

Cura, quòd cor urat. M. Terent. Verronis de lingua Latina, & verborum origine ad Cic.

TITULUS XXX. SOLITUDO.

§. I.

Symbola.

Ex Veteri.

Inclusit eum Dominus deforis. Gen. 7. 16. Tantum clausurà profecit cœtus ille hominum, & ferarum; ut non tantum à naufragio ereptus sit, verum & morum feritatem posuerit: lupus enim cum agno sine cruore diverit; confedit prope leonem cervus sine vulnere, vulturi ficedula accinuit. Oliva l. 2. Strom. §. Matth. 12. 40. Ergone sepulchrum Christi &c.

Reversa est ad eum in arcam. Gen. 8. 9. Multæ sunt insidiæ libenter extrà vagantis animæ; & magnæ tutelæ citò revertentis columbæ. Thom. Kemp. foliloqu. an. c. 10.

Sumpsit fuscillam scirpeam &c. Ex. 2. 3. Suffecit Moyli contra regem, & fluvium, cistula; nequijque infans in sinu mortis peire; fuscillâ, quasi cellâ, obseptus. Oliva citatus.

Per noctem in columna ignis. Ex. 3. 21. Sicut per deserta gradientibus lux ignea inter nocturnas tenebras infulgebat; sic etiam commorantes in spiritualibus claustris supernæ lucis sæpe radijs illustrantur. Fugiendus est ergo Mundus. B. Petrus Dam. l. 6. ep. 5.

Facies & saga cilicina undecim &c. Ex. 26. 7. Dei servus sit, ut arca testamenti: quæ nunquam ab interiori, & secretiori, templi parte exibat; & cum per desertum gestabatur, quàm plurimis integumentis occultabatur. Itâ, cum necessitas te extra domum compellit, sint timor, & pudor, sensuum tuorum integumenta; ne distrahantur. Diez conc. 2. de Incarn. D.

Claude ostium tuum, cum intrinsecus fueris &c. 4. Reg. 4. 4. Quando vidua illa replevit vasa oleò, fores ei claudenda erant iussu Elisæi. Si Deum cupis animæ tuæ communicare magnas gratias, recede à rebus hujus Mundi, solitudinem pete. Stella de cont. &c. p. c. 40.

Introduxit me Rex in cellaria sua. Cant. 1. 3. Sept: in cubiculum suum. S. Tho-

mas in ep. ad amicum: cellam frequentèr diligas, si vis in cellam vinariam introduci.

In lectulo meo per noctes quasiivi &c. Cant. 3. 1. Lectulum sibi sancta anima in nocte facit; dum, omnes perturbationes Mundi fugiens, secretum comparat, in quo requiescit. S. Gregorius hîc.

Ex Patribus, & alijs.

Amet homo, amet sanctum otium, in quo exerceat animæ suæ negotium. S. Prosper. l. 1. de vita contempl. c. 8.

Animosi accipitres, aquilæ venatrices, & supra omnes alites acutiùs videntes, volatus solitarios concupiscunt. Cassiodorus 3. var. 31.

Sicut piscis extra aquam citò moritur; ita Monachus extra cellam leviter distrahitur, & inquinatur. Et prudens apis, mel ex floribus colligens, statim inde evolat, & secretum gaudens repetit: & hoc in alveario cautè abscondit; ut habeat, unde in hyeme latenter vivat. Thom. Kemp. Vallis lilior. c. 18.

Disce pericula peccatorum fugere ab apibus; quæ in hyeme, & tempestate, conscientie suæ imbecillitatis, in alveari, aut in cavernis, latent; nè ab aere rapiantur, vel pluviam suffocentur. Quære & tu contra tempestates angulum, in quo vitam agas tranquillam; ut de te illud Il. 32. 2. dicatur: *Et erit vir, sicut qui absconditur à vento, & celat se à tempestate.* Diez conc. 1. D. 11. Pent.

Sicut cortex est ad decorem, & conservationem pomi, fractio verò corticis est ad pomi putrefactionem: aer enim intrat, & pomum corrumpitur. Sic ordinata conversatio est ad magnum vitæ decorem; negligens sui custodia vitam bonam, & conscientiam, arumpit. Broymard. Conversatio.

Statua sub sipario. Lem: *Celatur, donec caletur.* Bovius.

§. II.

Solitudinis varia laudes, & motiva.

DEt tibi Deus de rore celo &c. Gen. 27. 28. Esau venator dum esset foris, Isaac bene-